Eram occupatior. Sponsi gratus erga me animus: nam attuli ei idoneas causas, cur adesse non possim; & sane nihil optabilius quam verum esse. Nostras litteras ut video, quandoque in alienas manus inciderunt, quo cautior posthac ero, si liberius iocari velim. Sed dicas tu, Est ne haec illa ipsa sponsa, de qua tu blandius in ipsis tuis nuptijs os mihi publice demulcebas? Vide sis. Sed extra iocum; Deus fortunet matrimonium. De libris, gratias habeo. Nondum vicisti apud obstinatum animum meum, quin tota ratio per se substantiae ad eam categoriam pertineat. Vide Scotum in metaph. pro me: definitio aequalitatis, similitudinis, ordinis &c pro me; siquidem relatorum more definiuntur. at quae in [illegible], ille plus, ut optime nosti. Disputavi eam thesin pridie quam tuas accepi. Nunc versor in tractandis libris περὶ ἑρμηνείας. Statim desultorie transiliam in analytica: et primo quoque tempore ad posteriora. Vale & a me saluta sis tuam. Tibi nullus adhuc Iulus arridet? O socium tardum. III Aprilis. Altorfii.

Mitte quaeso per hunc socium certum Simonij versionem, vel potius compositionem, prior. analyt.

— T. alter.

Ambergam.

Theophilo Madero, Lectori

Scholæ illustris ibidem, S. dico.